



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

Geismar, Justus Moritz von

Coloniæ Agrippinæ, 1691

Ad tit. de Arbitr.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

minimam causam id, quod bona fide actum est, rescindi debet. *L. Res bonâ fide ff. de action. empte.* quod potissimum obtinet, si causâ majori præjudicium fieret, *l. 4. ff. b. t.* Præstat enim in re vel quantitate modica læsum manere eum, qui restitutionem petit, quam quid majus rescindi, quæ autem res minima vocetur, Judicis arbitrio committi debet. *Covar. lib. 1. var. resol. cap. 3. n. 11.*

Secundò in causâ cognitione versatur, an auxiliam commune & ordinarium supplicanti competere possit, quo habito ipsi succurrendum non est per remedium Extraordinarium *L. in causa 16. in princ. ff. de minor.* Quin tamen possit etiam in tali causa Pontifex seu Princeps si velit restituere & auxiliam extraordinarium impertiri, dubium non est *L. 1. §. desertur ff. de bon. possess. secund. tab.*

AD TIT. XXXXIII.

De Arbitr.

AD Num. 8. ad fin. adde: Nisi tamen sordes aut turpitude arbitri sit manifesta, tunc enim arbiter ad ferendum laudum compellendus non est, vel si litigatores ipsum infama verint. *L. sed §. 3. & 4. ff. b. t.*

Non cogetur etiam arbitrium susceptum prosequi, si se partes semel spreverint, & ad alium iyerint, etsi in continenti partes pœniteat. *L. 9. in fin. l. 10. & 11. ff. b. t.* Si plures sint arbitri, omnes adesse debent, adeò ut si duo ex tribus adsint, dictum illorum tertio absente nullius sit momenti. *L. sicuti 18. ff. eod. potuisse enim tertius reliquos*

duos in contrariam sententiam allatis rationibus traxisse, quamvis si omnes præsentés fuerint id prævaleat, in quod plures consentiunt, *d. l. 18.* Inimicitia etiam capitales si superaverint etiam cum altero litigatorum excusant arbitrum, uti & ætas vel adversa valetudo. *L. licet 17. ff. eod.* Quod etiam obtinet, si alter litigantium bonis cedat. *L. 17. in princ. ff. eod.* Ratio est, quod nulla foret exactio pœnæ contra illum, qui foris cessit. Eodem modo arbiter non tenetur sententiâ proferre, nisi uterque ex litigatoribus pœnam compromiserit, & quidem purè, nam si unus tantum compromitteret in pœnam claudicaret compromissum contra. *L. litigatores 11. §. penult. ff. b. t.*

AD LIBRUM II.

AD TITUL. I.

DE *judic. ad finem Tituli:* Porrò sine jurisdictione iudicium stare non potest, juxta vulgaram regulam quæ habet, quòd extra territorium jus dicenti impune non parcaur. *L. fin. ff. de jurisd.*

16. Jurisdictio definitur quod sit potestas publica statuendi & exequendi quid super negotio civili vel criminali, vel secundum Cujacium est notio, sive definitio causarum Magistratui proprio jure competens: ubi notio rectè ponitur loco generis, cum laxius pateat, & competat etiam Judicidato, qui tamen in definitione non comprehenditur.

17. Jurisdictio alia est voluntaria, alia

B 2